

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Academiae Fridericianae Buetzovensis Rector Et Senatus Academicus Civibus
Memoriam Resurrectionis Christi Pie Celebrandam Commendant, Praemissa
Brevi Recensione Fatorum Praedictionum Christi De Instante Resurrectione Sua :
[P. P. Sub Sigillo Academicico Ipsiis Feriis Paschalibus MDCCLXIII.]**

Buetzovii: Fritzius, [1763]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830118373>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830118373/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830118373/phys_0001)

DFG

via Rosdok als fund dupl.

71

572

Fa-1092 (n.)



- N. 1. Wippel Lubrius dicit Daniel Eremita.
 N. 2. Christoffelius singularia oettingensia
 N. 3. la prouidence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espèce.
 N. 4. Tychera abbreviaturarum hebreicarum supplementum I.
 N. 5. Burckers de gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.
 N. 6. Ernesti de praesentia corporis et sanguinis Christi in coena sacra.
 N. 7. ~~Angusti~~ de Concilio Tridentino parr.
 N. 8. Stephanus Imp. Caroli ch. merita in rem suam.
 N. 9. Marthius de sapientia sanctissima rite colenda.
 N. 10. Psycher de delectu veterum ebraeorum dissertationis I.
 N. 11. Witte de genuina f. G. universali notione.
 N. 12. Boederlein de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte
constituendis.
 N. 13. Weidener quod salus aeterna non meritis nostris sed sola Dei
gratia, per meritum Christi acquisita nostra.
 N. 14. Dem Regenatus male regens et Sanctorum reditum ad Papam
mum fructu suadens.
 N. 15. Rufius de veri fidei spectatoris Christi acquiritur eti.
 N. 16. Zaacke de lege aequilibritate in natura obseruatam etc.
 N. 17. Schmid Verio Alessandrina optimum interpretationis librorum
sanctorum proecdium.
 N. 18. Richter de theologo Dei Romane ad 2 Thes. III. 10.
 N. 19. Schubert de iudicio postuum Calvini et Figuerorum in causa
Procaristica.
 N. 20. Zachariae de usu dogmatico nominis filii Dei:
 N. 21. Emmerling interpretatio. Volum XXII. 20—33.
 N. 22. Haeselmann de divina punctorum vocalium et accentuum
cori ebraici origine.
 N. 23. Haempsel de modo predictioris Paulinae per seipsum dicti
^{Col. II. 4. 5.}
 N. 24. Dem de modo predicationis etc.
 N. 25. Haegteri coniunctio grisea dicitur Augustinianus in manu Missione Paula.
 N. 26. Christoffelius de vita Pamingorum commentarius etc.
 N. 27. Becker questionis an aeterna annihilationis hominum peccatorum
fors etc.

- N. 28. Rector et senatus academicus omnibus Academiae Fridericianae Bülow
N. 29. Iauozvius de poena hereticorum etc.
N. 30. Doederlein de vero vnu atque abusu rationis humanae in rebus diuinis
N. 31. Dem de vnu atque abusu rationis etc.
N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales senatus etc.
N. 33. Rector et senatus academicus omnibus Academiae Fridericianae Bülow
enfir etc.
N. 34. Academiae Fridericianae Bülowensis Rector et senatus acade-
micus memoriam resurrectionis Christi etc.
N. 35. Dem solemnia natalia Domini nostri Iesu Christi etc.
N. 36. Zachariae Christus PCWOTOKOS EK TUV VENQUR.
N. 37. Rector et senatus academicus Bülowensis etc.
N. 38. Zachariae Christus PCWOTOKOS etc.
N. 39. Rector et senatus academicus Bülowensis etc.
N. 40. Markius de Juri prudentia diuina et codice sanctissimo.
N. 41. Becker an Dr. D. Telles nisi negata vera spiritus et deitate etc.
N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.
N. 43. Chrysander de fundamento explanationis Christi dominii maiestatis.
N. 44. Dem recentis scriptorum eruditorum
N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitearum.
N. 46. Trendelenburg de Iudaismo etc.
N. 47. Minnepurii zu Grauburg Pastoral Episcopatu etc.
N. 48. Rector universitatis ad solemnia paschalia etc.
N. 49. Quistorp de ratione modique quo peccati fomei etc.
N. 50. Becker creationis universi gloria filio Dei etc.
N. 51. Quistorp de Novo Pauli (Cor. 1.5.)
N. 52. Pries de sanctis angelis et postolorum etc.
N. 53. Detharding de cura infantum recens ratorum penes etc.
N. 54. Martini de non vnu iudicii denuntiatori in e Megapoli.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUETZOVIENSIS
RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS
CIVIBUS
MEMORIAM RESURRECTIONIS
C H R I S T I
PIE CELEBRANDAM
COMMENDANT,
PRAEMISSA BREUI RECENSIONE
FATORUM PRAEDICTIONUM CHRISTI
DE INSTANTE RESURRECTIONE SUA.



•SS• •SS• •SS• •SS• •SS• •SS• •SS• •SS•

BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

ACADEMIE RIDEVICINA
BIBLIOTHECA
RECTOR ET SENATUS ACADEMIE
GIBRALTAR

MAGISTER RESURRECTIONIS

CHYRISI

DE CERTA
TRADITIONE
EPISTOLAE PETRI APOSTOLI
PRO RESURRECTIONE CHRISTI



Esse inter sanctissimi servatoris, CHRISTI,
fata maxime memorabilem eius ex morte
nostra causa suscepta redditum, dubitari
nequit, quem ideo iam vates V. T. praedixerant, ad quorum vaticinia saepius
CHRISTUS eiusque apostoli nos ablegant. Quam ob rem etiam ipsius CHRISTI de reditu suo in vitam praedictiones eo maiorem requirunt attentionem, quippe
quae nos ipsos de rei huius grauitate rectum iudicium ferre docent. Vestris itaque meditationibus, Ciues Aestumatissimi, festis his diebus memoriam resurrectionis CHRISTI renouantibus
praedictiones has commendabimus, earumque inter hostes discipulosque eius fata ad legitimum earum usum discendum expendenda trademus.

Si temporum seriem sequimur, iam ab initio muneris sui
prophetici praedixisse CHRISTUM mortem suam redditumque

a 2

in

50.

51.

52.

36.

37.

39.

40.


41.

42.

43.

44.

DFG




in vitam, conspicimus. Jam enim, quum ad primum Paschatis festum, quod in tempus muneris ab ipso administrati incidebat, Hierosolymam profectus esset, templum destruere corporis sui permisit hostibus, quod se restauraturum tertio die pollicitus est. Ad resuscitationem corporis sui morte fracti ipsum respicere, dubitare nos non finit saepius repetita authentica promissi huius interpretatio, neque dubitandum, corpus suum templi nomine eum appellasse, non solum quod in templo erat, sed & quod ablegare voluit signum poscentes evidentissime ius ipsi datum, templi honorem vindicandi a profanatione, confirmans, ad maximum illud miraculum, quod instet in templo hoc praestantiori corporis sui olim edendum. Nolumus verborum explanationi similique adhibito illustrando immorari, quum centies dicta hic tantum repetenda essent. Sed de fatis praedictionis huius obseruamus, I) neminem auditorum eo tempore eam intellexisse, etsi, quod interpretes hic obseruant, CHRISTUM dico corpus suum monstrasse, valde sit probabile, ut intelligerent, se non de templo lapidibus exstructo, sed de corpore, sanctissimo templo diuinae gloriae, loqui. *Judeos* de templi aedifico eum intellexisse, ipsi responso dato indicant, de quo etiam cogitauisse videntur ipsi JESU discipuli, neque CHRISTUS necessarium duxit, mentem distinctius explicare, quod etiam, si claris verbis resurrectionem praedixisset, neque credidissent *Judaci* praesentia signa poscentes, neque intellexissent discipuli, aliis occupati opinionibus de JESU, quam quae mortis eius cogitationem permittebant. II) Satis tamen profunde penetrasse eam in corda discipulorum, qui adhuc memores eius erant, quum ex morte reuera rediisset CHRISTUS, vnde saepius apud se cogitasse videntur, quid de templo facturus sit CHRISTUS, eiusque destructionem nouamque per miraculum restitutionem exspectauisse, simulatque vero in vitam redierat, laeti de sensu praedictionis huius inuento, quae nunquam ex mente eorum exciderat, eius recordati sunt. Forte etiam ipse JESUS hanc
prae-

✿ ♫ ♪

praedictionem ipsis in memoriam reuocauit, quum eos mone-
ret, cuncta haec ipsis praedicta esse a se ante mortem LUC.
XXIV. 44. III) Neque tam facile ex reliquorum *Judaeorum*
mentibus eam effluxisse, vt non satis eius recordati sint, fa-
cile ex eo colligitur, quod sermone hoc falsi deinde testes ab-
utebantur ad accusandum CHRISTUM, quasi destruere volu-
isset templum MARC. XV. 51-59. MATTH. XXVI. 61. quo
tamen, quum non consentirent in testimonio suo, parum pro-
fecerunt. Satis hinc patet, adhuc de templo lapideo eo tempo-
re cogitasse *Judeos*, atque intelligere nequivisse, quid de exitu
mortis, quam tum meditabantur, praedixerat. IV) Hostes CHRI-
STI sermonem hunc CHRISTI maxime blasphemum iudicauisse,
facile eo patet, quod, quum testimonia reliqua mendacia in ac-
cusatione CHRISTI adhibita mox reiicerentur, hoc solum gra-
uius esse videbatur, quam vt pontifex silentium CHRISTI pa-
tienter ferre posset, quam ob rem si testes consentientes habu-
issent, huic in primis, tanquam sermoni blasphemo, inhaesissent.
Quae enim STEPHANO obiiciebant, nimirum ἐγκαταβλάσ-
φημα κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἀγίου, nimirum contra templum,
ACT. VI. 13. ex hoc sermone etiam exsculpere voluisse viden-
tur. Si enim blasphemiae STEPHANO tributae considerantur,
non fuerunt nisi instantis templi καταλύσεως praedictio v. 14.
quae itaque si blasphemia esse in hoc credebatur, certe eandem
caussam in CHRISTO inuenisse credendi sunt. V) Neque de-
torsionem praedictio ista effugere potuit, quum templi destru-
ctionem in se non suscepisset CHRISTUS, sed *Judeis* permi-
sisset, at testes illi referunt sermonem istum non hoc, sed illo
modo, vt taceam additam mentionem templi χειροποίητου &
ἄλλου ἀχειροποίητου, atque etsi restitutio templi promissa per
miraculum, si de templo locutus esset CHRISTUS, omnem
blasphemiae maculam abstergere potuisset, haec tamen parum
iuuit eum, quum solus distensus testium efficeret, ne ob hunc
sermonem damnari mereretur sanctissimus seruator. Idoneam

a 3

enim



enim ipsis visam esse caussam ad condemnationem, ipse zelus pontificis, quo ad confutandam eam prouocabat CHRISTUM, probat, si etiam *ιων̄ μαρτυρίας* significatus pro idoneo testimonio satis esset euictus, quod adhuc tamen factum non esse existimamus. Dissensum vero in testimonio a MATTHAEO & MARCO exprimi, non dubitamus. VI) CHRISTI falsissimam sermonis sui interpretationem facillime confutandam spreuit, neque eos, qui grauissimum in eo crimen inuenire credebant, responsione dignatur, quum, si mentem suam de hoc sermone distinctius explicare voluisse, non solum non credidissent, sed & nouam blasphemiam in ea inuenire credidissent, & rei per testes nondum satis probatae confessionem se nactos esse arbitrati essent. VII) Abuti adhuc pergebant hostes eodem sermone, quum iam cruci adfixus esset, quod originem suam renouationi memoriae huius sermonis per falsos testes debuisse videtur, neque operae vlli pepercerunt sine dubio pontifex reliquie antistites, vt prouocarent plebem comminatione templi destruendi, quae itaque vaticinium irridebat atque falsitatis exitu argutum referebat, quod vnico interiecto die gloriissime a CHRISTO est impletum. Primam igitur reditus in vitam praedictionem omnium maxime abusui fuisse obnoxiam, conspicimus, in primis eorum, qui peruerse intelligebant sermones CHRISTI, at simul eandem maximi momenti fuisse discipulis, CHRISTI sermones magis ponderantibus, atque mente sancta tenentibus, donec rite perspicere veritatem eius rectumque sensum gratia diuina dicerant.

Sequitur hanc illa praedictio, quae iterum ad *Judeos* nonnullos signum aliquod petentes directa est, ex MATTH. XII. 38-40. Rediens similis praedictionis huius occasio nos admonet, CHRISTUM ipsum oppositione hac reditus in vitam erga omnia reliqua a se edita & edenda miracula docuisse, omnium hoc esse maximum, & ad conuincendos homines, ipsum diuinatus missum vere esse MESSIAM, commodissimum. Quum etiam noua

❀ ❀ ❀

7

noua semper post vix facta miracula ingentia postularentur si-
gna, nullum igitur sufficere videretur tam duris mentibus, ad
maximum semper omnium eos ablegat, quod ipsum contemptum
iri ab iisdem praeuidebat, quam ob rem frustra fieri horum cau-
sa miracula, quantacunque sint, docet. Sermone vero hoc re-
ditum in vitam non solum trium dierum mentione, sed & com-
paratione cum JONAE in ceti ventre commoratione, eiusque
ad lucem reditu praedicit. Haud quidem hic commemoratum
inuenimus, utrum sermonem hunc melius intellexerint *Judaei*,
verba autem satis clara sunt, quum ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς εἴη
vix de alia re, quam de sepultura explicari potuerint, hinc re-
ditus non esse potuerit nisi reditus in vitam. Quum praeterea
non inueniamus, CHRISTUM hostibus magis diserte resurrectionem
suam praedixisse, primam vero praedictionem ob ea, quae
ante dicta sunt, plane non de reditu in vitam intellexisse videan-
tur, neque per discipulos, quae de resurrectione sua ipsis pate-
fecerat, hostibus innotuisse, sit probabile, quippe qui ipsi claris-
simas has praedictiones haud recte intelligebant, nihilo autem
minus praedictam resurrectionem post triduum mortis non igno-
rarent hostium principes MATTH. XXVII. 63. probabile est,
recte eos hunc sermonem intellexisse. Interim saltim infensissi-
mi eorum, vanam hanc esse iactationem, impudenter sparge-
bant, atque ne erroris conuincerentur, si vere eiusmodi quid
accideret, ne discipuli praedictioni huic veritatis speciem con-
ciliatur corpus CHRISTI furto auferant, se metuere, aliis per-
suadebant. Etsi itaque CHRISTO credere noluerint, ingentia
tamen ab eo patrata miracula timorem aliquem ipsis iniiciebant,
ne verae fortasse sint illae praedictiones, etsi fraudis eum accu-
fare mallent, saltim aliis, fraudi cuncta esse adscribenda, persua-
dere optarent.

Quo magis appropinquabat finis vitae JESU, eo saepius
clariusque in primis cum discipulis eum de morte ac resurrecti-
one sua colloquente audimus, quam ob rem plerasque claris-
simas;



simasque praedictiones anno ministerii ultimo ab eo datae esse, obseruamus. Inter illas primam inuenimus, quam enunciauit CHRISTUS, post confessionem a PETRO nomine omnium editam, se JESUM pro vero a Deo promisso MESSIA agnoscere, veritatemque huius sententiae a CHRISTO ipso diserte confirmatam, qua non solum passionem mortemque verbis maxime claris, sed & resurrectionem tertio die secuturam ipsis nuntiat MATTH. XVI.22. MARC. VIII. 31. LUC. IX.22. Primam hanc disertam mortis & resurrectionis fuisse praedictionem, colligimus ex verbis a MATTHAEO adhibitis, Απὸ τότε ἤρχατο, & ex MARCI assertione, eum παρεγνωσίᾳ tum haec annunciasse. Ipsam praedictionem iterum non moramur. Quid de resurrectione crediderint discipuli, non memorant scriptores sacri hoc loco, dubium vero non est, eos non intelligere potuisse evidenter haec verba, quod dubitationes eorum post crebriores eius praedictiones satis luculente commonstrant. Mors violenta simul hic praedicta magis perculisse discipulorum animos videatur, quam ut ad connexam resurrectionem attenderint, quae totam de JESU eiusque regno conceptam spem ipsis adimere videbantur. PETRUS saltim, mortem ipsi imminere, satis diserte negat, quum audet, timiditatem ipsi obiicere, & bono animo eum esse iubet, tale quid non esse metuendum, promittens. Quomodo itaque redditum ex morte credere poterat, si ipsam mortem instare negabat?

Nouam deinde mentionem resurrectionis suae CHRISTUS fecit, quum descenderet cum discipulis tribus, PETRO, JACOBO & JOANNE, de monte, in quo solemniter pro filio summo Dei declaratus erat, discipulosque ea de re tacere iubaret, donec ex morte in vitam rediisset MATTH. XVII. 10. MARC. IX. 9. Satis hic diserte nos docet MARCUS fata praedictionis huius. Non enim eam intelligebant discipuli, sed reliquis omnibus rite intellectis, hic haesitabant (τὸν λόγον ἐνγάττησαν) & quid resurreccio illa ex morte sibi velit, inter se disquire.



9

quirebant. Quum clarissima essent verba, atque non plane inaudita complectentur, satis apertum est, tam parum antea ad hanc praedictionem eos attendisse, quam, in ea fuisse discipulos opinione, fieri plane non posse, vt satis euidens notio resurrectionis ex morte hic retineatur, improprie itaque intelligendum esse sermonem CHRISTI. Dubitarunt igitur, atque inter se disquisuerunt, τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι, quo sensu ex morte resurrectionem polliceatur. Neque illud est mirandum, quum effati ipsius veritas in dubium ab ipsis non posset vocari, at mortem MESSIAM, quem mox gloriosum regnum suum in terris his esse apertum confidebant, non decere existimarent, quem nunquam moritum esse, discipuli aequae ac reliqui *Iudei* putabant. Quibus suppositis, non poterant non in eam ingredi opinionem, redditum ex morte alio eoque improprio sensu esse intelligendum. Quum vero explicationem a CHRISTO petere velerentur, elonginquo quasi expiscari eam tentant, quum de reditu ELIAE ante regnum MESSIAE stabiliendum eum interrogant, atque CHRISTUS, mentem eorum facile perspiciens, vaticinia de passione & exinanitione sua iis in memoriam reuocat, vt mortis necessitatem doceat, ex qua facile etiam, sensu maxime proprio ex morte redditum esse accipendum, colligere potuissent. Facile itaque apparet, quam iniquum sit iudicium nonnullorum hostium religionis *Christianae*, & in primis aduersarii examinis testimonia resurrectionis CHRISTI *Sherlockiani*, qui libellum: *The Resurrection of Jesus considered, in answer to the Trial of the Witnesses, by a Moral Philosopher London MDCCXLIV.* edidit, quum sermones hos factos esse ex eo colligit, quod tam clara verba discipuli intelligere non potuerint. Satis enim est apertum ex his similibusque locis, verba satis intellexisse discipulos, etsi proprio sensu accipi ea posse dubitabant, hinc de arcano eorum sensu inueniendo solliciti erant.

Eandem praedictionem repetit CHRISTUS haud ita multo post, quum cum solis discipulis per *Galilaeam* proficisci-
b

tur,





tur, verbis non minus claris, & quae alio quam proprio sensu accipi vix poterant MATTH. XVII. 22. MARC. IX. 30. LUC. IX. 43. qua valde esse contristatos discipulos, docet MATTHAEUS, mortem nimirum cogitantes, quam de CHRISTO ob prae*judicia* de eo concepta credere nunquam posse sibi videbantur, resurre*c*tionem vero ob tristiorum hunc nuntium parum atten*d*isse videntur. Reliqui igitur scriptores sacri iterum memorant, non intellectum esse ab ipsis sermonem istum, quod in primis LUCAS pluribus verbis narrat, admirationem & stuporem ingentem expressurus, in quem mortis mentione essent coniecti. Ex quo itaque apparet, quod & aliis argumentis facile potest euinci, tam profundas in mentibus eorum egisse radices prae*judicia*, quibus a pueris adsuefacti erant, de fatis MESSIAE in terra splendidissimis, quam ipsam tamen ignorantiam istam pudore ipsos confudisse, ut magistrum suum de vero prae*dictio*nis sensu interrogare non sint ausi, forte veriti, ne quid distinxerent de eo, quod audire timebant, vel ne irritarent magistrum, quod PETRI olim inconsiderato sermone factum iam esse recordabantur.

Maxime memorabilis est sermo CHRISTI, quo praesentibus omnium generum hominibus, amicis & inimicis, non multo ante festum Encaeniorum, vel in ipso hoc festo, fata sibi imminentia praedixit JOH. X. 17. in quo certe instantem mortem sequentemque in vitam redditum verbis disertis annuntiat, simulque consilio illud sapienti diuino fieri, atque ad redimendos ab interitu aeterno homines necessarium esse, indicat. Neque potentia sua diuina indignum esse, morte violenta affici, docet, quod non solum mandatum diuinum illud poscat, sed &, quod sponte mortem subeat, atque in vitam suam potestatem se habere, ipso redditu ex morte sit demonstraturus. Nihil itaque luctuentius eodem tempore inculcat, quam propriae suae potestati etiam redditum in vitam esse tribuendum, ne offendenterunt discipuli morte violenta sua, atque ne viciisse hostes crederent,




rent, quum ad mortem rapi posse CHRISTUM saepius iam ex manibus eorum violentis elapsum viderent. Neminem inter auditores fuisse, qui intellexerit hunc sermonem vel saltim attenderit ad illum, credere nos vix sinunt tam clara verbâ eius, quam ipsa memorabilis CHRISTI potestatis suae in vitam eiusque restitutionem, nec non sponte subeundae pro hominibus mortis commemoratio. Si vero, quod ex nexus iudicari nequit, sermonem hunc audiuerunt ipsi CHRISTI discipuli, et si illud probabile ob alias rationes sit, negari certe nequit, vel parum atten- disse eos ad sermonem hunc, vel haud intellexisse verba, quae clariora vix esse poterant, vel tam cito iterum eius esse oblitos, ut post paucos menses mors atque resurrectio CHRISTI ipsis adhuc fabulae instar esse videretur.

Quum iterum signum caeleste peterent CHRISTI aduersarii, rursus ad signum JONAE vatis ablegat eos sapientissimus seruator, LUC. XI. 29. Sermonem enim hunc a simili a MATTHAEO narrato & ante commemorato esse diuersum, ipsa rerum a scriptoribus sacris narratarum series diversa satis luculente probat. Hic vero non aequo diserte commemorationis suae in terra, & reditus ex illa tertio die exspectandi mentionem fecisse videtur, ac sermone priori factum. Quod eo minus contradictionis speciem potest praebere, quod vult impudens ille aduersarius resurrectionis CHRISTI, quem ante memorauimus, quum LUCAM & MATTHAEUM in narrationibus suis a se inuicem discedere putat, eo quod MATTHAEUS explicationem signi allegati luculentiore addit. Non enim iisdem verbis in sermonibus vere diuersis usum esse CHRISTUM, facile credi potest, et si neque species aliqua adest contradictionis, si vere eundem CHRISTI sermonem referrent MATTHAEUS & LUCAS, ille aliquanto prolixiores, hic contradictionem, quum ipsa singularis fati JONAE mentio iam triduum illam in terra commemorationem inuolueret, facile lectoribus post resurrectionem CHRISTI, quum LUCAS scriberet, in mentem reuocandam.



Silentio praeterimus reliqua argumenta vere inepta, quibus fictiōnis accusare audet sermonem hunc CHRISTO adscriptum scriptor ineptissimus, dudum ab aliis copiosius confutata, quam merebantur.

Appropinquante denique omnium horum vaticiniorum impletione, atque quam CHRISTUS iam in via esset, qua morti Hierosolymae ipsum exspectanti obuiam iret, ex industria instantia sibi fata distincte iterum atque accurate exponit. Non enim solum mortem certo sibi imminere, sed & proxime instare, nuntiat, obuiamque se procedere morti & passioni maxima, ideoque Hierosolymam proficiisci, neque minus mortem comitantia memorat, proditionem, condemnationem ab ipso Iudeorum senatu, irrisiōnem, flagellationem, ipsumque mortis genus, addit denique laetiōrem nuntium de reditu suo in vitam breui post sperando MATTH. XX. 18. 19. MARC. X. 32-34. LUC. XVIII. 31-34. Si fata clarissimae huius praedictionis spectamus, MARCUS ante illam meminit, pauentes trementesque magistrum suum fecutos esse discipulos, quod interim huic CHRISTI sermoni tribuere vix possumus, quod vult S. V. HEUMANNUS ad h. l. qui ideo καὶ v. 32. caussam indicare existimat, atque verba omnia hic occurrentia per tempus plus quam perfectum exprimit. Satis enim clarum esse videtur, παραλαβέν opponi τῷ προάγειν & απολογεῖν, ex quo appetat, tristitiam eorum sequentium e longinquo CHRISTUM praecessisse eorum collectiōnem & colloquium CHRISTI cum ipsis de morte & resurrectione sua, neque verbum ἤργατο huc satis conuenire videtur, si temporis plus quam perfecti notio debet admitti. Jam itaque praegresso sermone, quo saltim persecutionum mentione spes eorum de regno terreno CHRISTI concepta imminuta erat, contristati esse videntur, vel quod sermo iste non tam ardeat cohaerere videtur cum hoc itinere, sed sermo JOH. XI. relatus, quo LAZARI mortem nuntiaverat discipulis, proxime ante iter huncce praegressus esse, tristitiae huius facilius adhuc ratio potest reddi.



13

di. Non enim de LAZARI resuscitatione cogitabant discipuli ; sed quum mortuum eum esse dixisset magister eorum, addidisset- que v. 15. *Abeamus itaque ad illum*, ad mortuos abire non esse nisi mori putabant, quam ob rem THOMAS reliquos alloqui- tur : *Abeamus cum ipso*, ut cum eo moriamur v. 16. Cum his gestis si proxime connectitur MARC. X. 32. facile moeroris caussa inuenitur. CHRISTUS igitur, moerorem eorum quaeren- dique timiditatem perspiciens, copiosius eos de fatis proxime sibi imminentibus instituere consultum duxit, eosque simul reditus sui ex morte post triduum mentione consolari. Tristitia itaque MARCO memorata ad praedictionis huius effectus referenda esse non videtur. Interim neque hoc CHRISTI clarissimo ser- mone viam esse ignorantiam eorum stupiditatemque ex pra- iudiciis ortam, testatur LUCAS, iterum admirationem lecto- rum mouens verborum cumulatione, nihil horum eos intelle- xisse, atque rem arcana ipsi visam esse, neque, quae dicere voluerit magister verbis fatis euidentibus, perspicere potuisse eos, adfirmans v. 34. Nullum est dubium, eos sermonem ipsum iterum recte intelligere potuisse, at adeo obuelatam fuisse pra- iudiciis erroribusque de regno CHRISTI terreno mentem eo- rum, vt somnia ipsis viderentur, quae audiebant, sensu valde improppio intelligenda. Saltim dubia, quae vincere non pote- rant, supererant, ob quae nihil de sermone CHRISTI intelligere sibi videbantur, quod, quae suis de eo conceptis opinionibus con- traria erant, quas certissimas existimabant, concoquere non va- lebant.

Silentio praeterimus obscuriores nonnullas praedictiones, yti JOH. XII. 24. ex qua resurrectionem CHRISTI eo tempore collegisse credi vix possunt discipuli, qui clariores sermones in- telligere non potuerant. Pridie diei, quo CHRISTUS ultimam coenam cum discipulis celebrabat, *Bethaniae* ipsis abitum suum nuntiat, et si mortis disertam non faciat mentionem, quam ob rem THOMAS ignorantiam suam de abitu hoc ingenue fatetur C. XIV. 5. simul vero reditus sui promissione etiam consolatur

b 3

eos





eos v. 18. iterumque discessu adfirmato, reditus in vitam nouam spem facit, atque tum solis discipulis apparere se velle, addit. Quin & denuo repetit hanc adfirmationem magisque inculcat, quod difficulter eos illam intelligere, & a mortis cogitatione abhorre sciebat v. 28. Vtrum de reditu ex morte intellexerint hunc sermonem, non appareat, et si JUDAS responsione sua indicet, se satis percepisse, aliquo discessurum esse CHRISTUM, & rediturum, sed non iterum in hostium conspectum venturum, at non exprimit, vtrum de abitu per mortem redituque in vitam cogitauerit. Interim quum CHRISTUS nihil JUDAE respondeat, sed in sermone coepto pergit, satis sensisse videtur, hic etiam de regno terreno, quod inter ipsos hostes sit stabiliturus, JUDAM cogitasse, eamque ob caussam mentis distinctionem explicationem quaequivisse. Moerore interim denuo eos esse adfictos, satis ex CHRISTI sermonibus, quibus a metu & terrore eos dehortatur, & ad gaudium potius adhortatur, appareat v. 27. 28.

Vltimo denique CHRISTI sermone probabiliiter post vltimam coenam CHRISTI instituto repetit saepius mortis abitusque ad patrem mentionem C. XV. 13. XVI. 5. ac spem etiam reditus in vitam renouat verbis saltim obscurioribus, cuique attento praeiudiciisque libero facile perspicuis, at discipulis haud claris ob conceptas de regno terreno eius opinones. Si se breui tempore ab ipsis visum non amplius iri praedicit, mox imminentem mortem innuit, sed si paulo post iterum ab ipsis visum se iri promittit, reditum ex morte indicat v. 16. Quam parum hunc sermonem intellexerint, ipsis eorum disquisitionibus patet v. 17 - 19. At quae saepius claris verbis praedixerat CHRISTUS, morti se obuiam procedere, atque ex morte rediturum esse in vitam die tertio, hic non repetit seruator sanctissimus, ne moerorem augeret, quam ob rem tantum imminentem eorum tristitiam ob abitum suum praedicit. Mentem interim eorum iam cum valde fuisse contrastatam ob discessum praedictum, quocunque demum modo abitum hunc intellexerint, ex ipso sermone CHRISTI appetit v. 6. 22.

Prae-



15

Praedictionum harum partem exactissime impletam videbant amici & inimici in morte CHRISTI, & hi quidem recordabantur, mortuo eo, vaticinii ipsius de resurrectione sua, at imposturae accusare malebant, quam credere, morte opus fuisse ad officium redemptoris generis humani implendum. Satis itaque mentem huius vaticinii intelligebant hostes MATTH. XXVII. 62. et si insignia miracula in CHRISTI morte facta, vna cum ingentibus ab ipso viuente patratis, nondum duram eorum mentem frangere & confessionem exprimere poterant, non potuisse eum imposturae accusari, scelestissimum potius animum adhuc in recordatione praedictionis huius produnt. Fuisse inter ipsos discipulos CHRISTI nonnullos, qui post mortem eius promissionis de reditu in vitam recordati sint, non docemur; fuisse interim plures, quibus ipsa mortis saepius praedictae impletione oculi nondum erant aperti, ut rite intelligerent, quid per resurrectionem intelligendum sit, quinimmo plures ne quidem recordatos esse illius, facile eo cognoscitur, quod ipsi diu dubitauere de resurrectionis CHRISTI veritate, quod fieri non potuisset, si recordati essent, reditum hunc in vitam tertio post mortem die exspectandum sibi saepius a CHRISTO esse praeditum, sique rite intellexissent haec CHRISTI vaticinia. Si attente legeris, quae de apparitionibus CHRISTI post resurrectionem narrantur, haud satis mirari poteris, quam difficulter discipuli crediderint testimonii de vita CHRISTI, ipsumque oculis suis visum pro eo agnouerint, qui reuera erat. Cauffas huius dubitationis ipse JOANNES C. XX. 9. reddit, quod vaticinia de resurrectione CHRISTI ignorauerint neque rite intellexerint, atque hanc dubitationem victuri CHRISTUS & angeli in memoriam ipsis reuocant, non solum in libris sacris V. T. sed etiam a CHRISTO ipso ante mortem haec esse praedicta LUC. XXIV. 6-8. 25-27. 44-47. multumque valuisse tum praedictiones hasce ad fidem confirmandam discipulorum, facile colligimus ex JOH. II. 22. XX. 8.


Vber-



Vberrima hic esset occasio, ex dictis tam vim ingentem praeiudiciorum, quam prudentiam insignem CHRISTI in instituendis infirmis, & fidem, quam apostolorum testimonium de resurrectione CHRISTI meretur, aliaque plura illustrandi, quae vero vberius diducere limites vetant, propriae itaque meditatio-
ni Vefrae, Ciues Dilectissimi, relinquenda.

Agnoscite vero ipsi his diebus maximum resurrectionis CHRISTI momentum, discite eam rite meditari. Si qua re CHRISTUS solemniter declaratus est summus filius Dei, si qua re certissime est euictum, plene ex consilio diuino atque prout nostrae saluti sufficiebat, absolutum esse opus nostra causa ab ipso suscepsum, gloriose hoc CHRISTI in vitam reditu factum illud esse nouimus. Fugite contentum omnem redemptoris vestri gloriosi, cuius redditum non ex vaticiniis solum, sed & ipsa eorum impletione cognoscere possumus, hostiumque exemplis terreamini. Discipulorum exemplis discite, rite attendere ad sermones eius, quibus vobis non instans sed vere factus gloriosus reditus eius in vitam nuntiatur, fide amplectamini eum vestrum redemptorem in humilitate, eiusque mortem vestram existimetis vitam, fide agnoscatis eum etiam in gloria. In scrutandis libris sacris dies hos consumite, vt animi ardor inspiratus discipulis, quum CHRISTUS ipsis vaticinia explicaret, & mortis resurrectionisque suae necessitatem demonstraret, etiam in animis vestris accendatur, attentique audiatis publicum reditus eius praeconium. Ipse vero animos nostros aperiet, vt intelligamus ea recte, quae ad salutem nostram maximi sunt momenti, atque quae nobis rerum terrenarum amore impletis obscura esse videntur, efficaci hac CHRISTI institutione non solum clara fient, sed & animum mouebunt, ad amplectendum eum fide & amore, qui salutis nostrae opus consummatum reditu hoc ex morte solemnissime confirmauit & obsignauit.

P. P. SUB SIGILLO ACADEMICO
IPSIS FERIIS PASCHALIBUS MDCCCLXIII.





e solche verbotene händel, seint straffwürdig, und dem sterworffen, dahin sie die Rüge: Männer bringen sollen: Verbrechen und fast unzehlig andere mehr, so wieder Gott und die moralischen Geseze streiten, so lange solche nicht her ärgernüss, und thathandlung aufzgebrocnen, noch für mal Richter gebracht, seind bisshero nicht beachtet, noch für sünde gehalten, dahero die Bosheit mehr und mehr en, so dennoch durch die hülffe Gottes verhütet werden dieses Sitten- und moral Gericht, durch Bestellung der erumb wird stabiliret werden.

en aber die Rüger-Richter hieben aller bescheidenheit sich en, und unterscheid zumachen, unter schlechten Verbrechis menschlicher Schwäche geschiehet, und durch ohnachtsgangen werden, oder da zugleich Bosheit mit untermenner auch aus lautem Vorsatz, und malitz geschehen, den chaden, schimpff und Ungelegenheit zubringen, wiederumb rbrechen in conatu nur bestanden, oder zur that und würtz eschlagen, item ob die verbrechere und beleidiger zur Vere neiget, ihre fehler selbst bekennen, und verbitten, oder ob flich wieder glaubhaftie anzeigen verneinen, ihre böse tha chen gleich in Worten oder Wercken, zuvertheidigen, und n sich unternemmen, ob sie Besserung an ihnen zuspüren oder e mehrmahl schon, in einem und andern Laster betroffen, ret, und keine emendation geachtet, bey diesen und an nimmenden umbstenden die Mensur der Bestrafung zuneh arnach solche zulindern oder zuschärfen seyn wird; auch die Verbrechen so beschaffen, daß dieselben zur gesenck, und darauf erfolgende Bestrafung solten gedeien, ist dem Gericht, oder Fiscali davon bericht abzustatten, und die g zugewarten.

der Bestrafung seind auch die Gradus admonitionis, & Correctionis, nicht aus der acht zulassen, und solche für zuversuchen, weil dieses moral Gerichte, nicht, wie bei niali judicio gebreuchlich, mit Ketten und Banden, noch chwert geführet wird, müste aber in Contumaces einige nsura ergehen, so bannum Ecclesiasticum nach sich zöge, ist

